

urbem carere non posse (uti aquarum magistratus annales memorant) Marco Cornelio , provectæ ætatis viro admonente , inita fuit ratio , qua , citra ullam hujusce navigationis jacturam , averso flumine , æstuariis prospiceretur . Itaque xij. kal. novembris anno M. CCCC. LXXXVIII. navigationis comodo est consultum , curru ad navigia cymbasque traducendas , quo amnis a mari disterneretur , exædificato , ingentique alveo ad Doli pagum cœpto , quo Medoacus Fossam Clodiam versus deduceretur . Postea vero , cum , Fossæ Clodiam portu fere jam obstructo , in magno urbs illa discrimine versaretur , ad Bronduli portum alveus translatus fuit ; reliqua pars molendinis , atque navigationi qua ad urbem itur inferviter ; ac per alveum , quam *Restem* alii vocant , transmitteretur . Verum temporis tractu cum magna materiæ vis aggesta in Metamauci portum deprehenderetur , in eundem Bronduli sinum averti Medoacum visum est ; atque ad vicum , quem Miram vocant , novus alveus in octodecim passum millia longitudinem excavari , quo Medoacus exciperetur , atque fluminis illius influxus , qui , ex montibus humo excepta , turbidissimus provolvitur , alio amandaretur , decretum ; sed ne mediis in aquis sitæ urbi aquæ aditus intercluderetur , minora quædam flumina in veterem Medoaci alveum detrudi sancitum . Opus ingens ingenti labore , immensa impensa post aliquot annos perfectum .

Hoc anno Thomas Contarenius , Cretensis Archiepiscopus , vir innocentia , virtute , scientiaque conspicuus , Romæ fato concessit . Quatuor a Senatu nuncupati , ex quorum numero Clemens Pontifex Maximus , quem sibi placuisset , eligeret ; Aloysius Grimanus , Stephanus Bolanus , Augustinus Gradenicus , Abbas , Nicolaus Foscarus , e Theatinorum ordine . Grimanum , qui summa virtutis atque eloquentiæ laudæ multos in Republica magistratus gesserat , in Patrum collegio continentis Sapientis locum obtinuerat , nuperque Censor extiterat , Clemens extulit .

Thomas
Contarenius ,
Archiepi-
scopi Cre-
tensis , ob-
tus .

Aloysius
Grimanus ,
Cretæ Ar-
chiepiscopus
eligitur .